



## **Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XXXII. Iudaeae pariturae, ac prae dolore mortem exspectanti, implorata Virgine, salus affertur. editus ex illo partu filius à patre necatus, ex suscitatur; paterq. se recipit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

mansit. Matris. n. precib. uictus quicquid à reo admiffum fuerat, dimisit. Ac ne miser animi penderet, ò mira pietas, eum ad se iussit propius accedere; ut pacis signo cruenta illa uulnera oscularetur. Post eius oscula, uulnera singulatim sanabantur. Praeclarè ille intelligès, quàm eo die insignem misericordiam expertus esset, mirabili gaudio delibutus sc̄piterno regi, eiusq. matri gratias ingenteis egit. Atqui domum rediens, quaecunq. malè peperat, re ipsa illis persoluit, quos suo fraudauerat; & ipse in monachorum, uxor in sancti montalum coenobio nomen professi sunt.

## MIRAC. VIRG. XXXII.

*Indaeae pariturae, ac prae dolore mortem expectanti, implorata Virgine, salus offertur. editus ex illo partu filius à patre necatus, excusatur; paterq. se recipit.*

**O**B pariendi difficultatem, ita dolores Iudaeae occiperant; ut ià è uita excessura esset. Christianarum mulierù hortatu se commédauit Virgini, qua cum, licet ferè morbi grauitate esset exanimata, hãc habuit orationē: ò Regina, etsi ego, quae te inuocem indigna sum, cùm sim ex illa gente; quae cruci natum tuum, omni misericordia relegata, crudelissimè fixit; tamen ubiq. constans fama est, te in illos etiam, qui atrocib., & inauditis scelerib. se contimarunt, pietate, & clemètia uti. Si ergo adduci potes; ut ira, quam meritò graues noxiae meae conciuerūt, adiuro,

deposita, me ex hoc periculo eripias; & re ipsa opē feras; tibi partum meum uoueo, & polliceor. sancte. n. adiuro, me daturam operam, ut quicumq. ex me, siue mas, siue femina nascetur, sacraei baptismatis purissimis lymphis colluatur, ac detergatur. Post uotum statim ei pariundi facultas data est, & pulcherrimus infans, qui maximum puerperae gaudium adtulit, editus est. ipsa filium in sinu gestans, templum adiit, & unā cum eo se in sacro fonte colluit; omnes planē labe abstergens. Domum rediens maritus, qui forte aberat, ubi haec rescituit, gladio interemit puerum; nolens in se tam insignem iniuriam, qua se affectum dicebat, accipere. ualde exclamante uxore, uicini illuc concurrerunt. Quocirca ille domo erupit. tametsi impius fugam meditatus fuerat; non tamen, quia urbis portae clausae erant, effugere potuit. In fugam igitur coniectus se in Virginis aediculā abdidit; ubi non se admodum tutum existimans, uerebatur, ne ibi repertus dederetur morti. In ea multum pauitans latebat; dum ibi tabulam quandam suspectās, in qua Virginis pictura erat, animo obfirmatus est. Quapropter huiusmodi sermonem habere incepit: ò Virgo incomparabilis, ò sexus tui gloria, ò coeli decus, quā longè, lateq. misericordia tua patet? quā clementer pietatis fonteis aperis? quae finis, ut ego tuo in conspectu, tuaq. in aede immorer; licet ab impiis illis genus ducam, qui more saeuientem canum, filium tuum rerum omnium auctorem, liberatorem omnium dilaniati sunt. Iam me pudet, iā poenitet pertinaciae. Te, per tuā ipsam misericordiā, supplex oro, & obtestor; ut ea clemētia, qua Christus  
 erga

erga Paulum prius aduersarium grauem usus est, me  
 complectaris. Omnem enim penitus Iudaicum ani-  
 mum eijcio; certa q. spes iniecta est, & pro certo  
 habeo, Deum ex te, integra, & illibata, saluo Virgini-  
 tatis purissimo flore, natum fuisse. Praeterea ipsum  
 Deum uerum, qui se in hominem couertit, ob perpe-  
 trata ab hominib. scelera, agnosco; eiusq. infinitam  
 esse potestatem, nec me clā est, nec ignoro. Dum haec  
 lacrymans diceret, dumq. uinculis adstrictus ad iu-  
 dicem deduceretur, in quanto sacratissimi baptismi  
 desiderio esset, omnium in conspectu testatus est. Ne  
 autem id ipsum ad simulari putarent, ut mortem differ-  
 ret; apertè indicauit, se post baptismum ultrò mortis  
 supplicium sufferre paratum esse. Quòd si tam sancti  
 uoti minimè compos factus fuisset; dixit futurum, ut à  
 Christo generis hominum liberatore baptismum ex-  
 posceret; & sanguis, quem moriens tunc effudisset,  
 aquae uice fungeretur. Morem, illi à iudice gestum  
 est. At reus, ubi quod cupiebat, ex sententia, impetra-  
 uit; iterum carceri inclusus est. Interea uxor, dum ad  
 filium quem maritus iugularat, oculos adijceret, eum  
 uiuum, ac dulciter ridentem comperit. Quamobrem  
 laetitia incredibili perfusa solidum uere gaudium ga-  
 uisa est. Nunciatum enim fuit, maritum factum fuisse  
 Christianum. ceterum ipsa, puerum afferens ad iudi-  
 cem concessit, incolumem, & à morte reducem factum  
 eum ostendens. Sola .n. cicatrix uulneris, quod filius  
 in gutture acceperat, uidebatur dimittitur Iudae-  
 us è carcere; & maxima populi admiratio hoc fa-  
 ctum consequitur. Ecce autem exsuscitato infanti,  
 egregiè in infantia fandi potestas data est. Ita enim  
 apertè

apertè, ut ab omnib. eius uerba exaudirentur, huiusmodi uocem crupit: Misericordiae mater, uerae laetitiae origo, Virgo ante partum, in partu, & post partum, quae pura, illibata, integra coelitem regem peperit; Dei sempiterni & immortalis filia, mater ac spōsa, me in fidem, & clientelam suam recepit. ego me illi seruum uoui, & addixi. Tunc pater, qui capitis periculum illo iudicio adiuerat, Virginem omnib. maximopere laudantib., uno omnium ore absolutus est. Is demum summa ueneratione tā pie adiutricis nomen ubiq. celebrans, multa eleganter, & ornatè contra Iudaeorum seueritatem, ac perfidiam scripsit. In filio autem unà cum aetate religio crescebat, ac pietas educebatur; qui quandiù uixit, id operam dedit, ut Deo, ac eius parenti fideliter, uerè, atq. ex animo inferuaret.

## MIRAC. VIRG. XXXIII.

*Vir nobilis, cui cacodaemon forma famuli capta, mala multa ingesserat; illis emergit precatione, O INTEMERATA.*

**A**Sfiduus erat vir nobilis, & integer in precatione illa recitanda; quae in Virginis, & Ioannis Euangelistae laudem instituta est; & quae hac aetate etiam ualde est usitata. Eius initium est. O INTEMERATA, & in aeternū benedicta. Praeterea illuc eius studia omnia redibant; ut quotidie insigne aliquod bonum faceret. At cacodaemon bonorum omniū pernicies, qui quia uitae praemio excidit, omneis in eandem calamitatem trahere conatur

Gg huic